

quod hic *Kelileh-Themineh* sonat. Dialectus est asperior illa Turcarum orientalium. Capita sunt sedecim, ita ut ea quae in editione arabica Ill. de Sacy caput primum efficiunt, hic plane desint; quae secundum, hic in praefatione vel ingressione legantur; tertium deinde illius caput hujus nostrae sit primum, et sic deinceps. Cod. abs. die nono mensis *Hüschan* (sic), anno 1781 aerae mihi ignotae.

No. 137. Cod. arabico-syriacus foll. 247, 4^o, char. syriaco vulgari robusto et perspicuo. Continet *Kethöbö de-béth-gazö*, Librum gazophylacii, i. e. Codicem liturgicum Ecclesiae Jacobiticae. Insunt 1) p. 1—207, preces vespertinae, nocturnae et matutinae ad singulas hebdomadis dies pertinentes, praeter diem dominicam. Accedunt die Veneris et Saturni preces hora tertia recitandae. 2) p. 208—244, octo *Mawrö-bé*. 3) p. 244—346, duodeviginti *Qölé-schah-röjé*. 4) p. 346—384, octo *Qölé-genizé*. 5) p. 384—422, preces complures S. Jacobi et S. Ephraëmi. 6) p. 423—469, *Madrosché* variorum auctorum, et similia. 7) p. 470—479, tractatus arabicus literis syriacis scriptus de calculo chronologico jejuniorum et dierum festorum Calendarii Jacobitici. Adjecta est p. 480 subscriptio quae testatur, hunc codicem absolutum esse A. Seleuc. 1841, Christ. 1530, mense Nisan, a Jesu fil. Joannis Episcopi, in Ecclesia S. Mariae Deiparae Syrorum Jacobitarum in urbe insulae Cypri Leucosia. Quae hinc sequuntur, et ipsa sunt ecclesiastica, a p. 484 inde recentius charact. minus culto scripta.

No. 138. Cod. hebr. membr. foll. 260, 4^o, duplici charact. scriptus, quorum prior (usque ad f. 74 v.) proxime ad vulgarem typographicum accedit, posterior pressior est et in apices tenuiores exit. Continet *Commentarium Abrahami Aben-Ezrae in Pentateuchum*. Primum folium excidit.

No. 139. Cod. arab. foll. 51, 4^o min., char. nestha'liq scriptus et vocall. instructus: *Abü-'Alé El-Hosein Ibn-'Abd-Allah Ibn-El-Hasan Ibn-'Alí Ibn-Sinae* (Avicennae) *El-Manzhümeh f'i't-tybb*, Compendium medicinae metropolitani-

bico expressum, 1313 disticha (ut ipse in praefatione testatur) complexum et in duas partes, theoreticam et practicam, divisum. Illa est de medicinae definitione et divisione, de natura humana, de morbis, de eorum causis et indicationibus; haec (inde a f. 30 v.) iterum bipartita, de iatrica, quae proprie dicitur, et de chirurgia. Poëma ipsum absolvitur f. 51 v. Sequitur vita Avicennae ex Ibn-Challikano ab eodem, qui poëma scripsit, decerpta. Haec et ipsa absoluta est. Sed in fol. 51 extremo incipit nova propositio, cujus continuatio desideratur. Adjecta sunt codici quatuor folia ab eo plane aliena, duas kasidas arabicas continentia, quarum posterior composita est ab *Ibn-Abi'l-Hasid*. Cod. abs. ante A. H. 855 (Chr. 1451—2).

No. 140. Cod. arabico-hebraeus foll. 298, 4^o min., totus literis rabbinicis scriptus. Continet Librum nonum ejus operis *Abü-Bekr Muhammed Ibn-Zekerijä Er-Räzi* (Rhasis), quod *El-Manfüri* inscribitur. Hic liber est de curatione morborum humanorum a capite usque ad pedes, cum paraphrasi et explicatione hebraea, singulis capitibus subjuncta. Morborum et proinde capitum numerus est 97. Eorum index praefixus est fol. 1 r. et v. Folium secundum cum eoque initium praefationis excidit.

No. 141. Cod. turc. foll. 258, 4^o, char. neschi scriptus: Versio turcica operis *Ferid-ed-din 'At-täri*, quod inscribitur *Theokireth-el-ewlijä*, sed non eadem quam in Cod. 99 habemus. Ceterum haec nostra post Imamum Ahmed Haubel f. 161 v. (Cod. 18 f. 102 v., et Cod. 99 f. 128 v.) octo aetis omissis statim transit ad Ma'rüfi-Karchi (Cod. 18 f. 126 r., et Cod. 99 f. 146 r.). Cod. abs. A. H. 1018 (Chr. 1609—10).

No. 142. Cod. arabico-turc. foll. 116, 4^o, partim char. neschi, partim nestha'liq scriptus. Si a duobus tribusve foliis discesseris, quae inter f. 13—14 exciderunt, integer est. Ab initio ad f. 10 exstant quatuor Corani capita, 1, 36, 48, 46, et precatio arabica. Cetera omnia opuscula turcica sunt et collectanea ad disciplinam traditionalem, historiam, theologiam, praecipue